

Cui Thusci assurgunt vates, vatesque Latini,  
 Atque mera e labris effluit ambrosia,  
 Dulcior & cycno, & Pandionia philomela,  
 Cantabat sanctis ieta cupidinibus;  
 Cantanti patrio Rhenus plaudebat ab alveo,  
 Plaudebat totis urbibus Italia.  
 Felices ambo! fertum Jesseis utrique  
 Stellifero in coeli vertice Diva parat.  
 Ergo age, parve liber prodi: nil uspiam ab æquo,  
 Nil inquam est æquo ab iudice quod metuas;  
 Non es quem possit contemnere candida turba.  
 Nam tristi livet si quis ab invidia,  
 Stultitia est quemquam quavis huic velle probari.  
 Cui, quanto res est pulchrior, & melior,  
 Tanto ingrata magis mentemque, & lumina lædit;  
 Cui quisquis tandem se placuisse velit,  
 Et foedi sævos monstri placare furores,  
 Mollis, iners, animi parcus, & ingenii,  
 Gaudeat in vili obscurus reptare popello,  
 Nec laudis quidquam cogitet eximiae.  
 Tu me audi, obscœnique gregis fannasque, cachinnosque,  
 Et dicta, & morsus temnere ne dubita  
 Contentus paucis, qui te vultuque benigno,  
 Certatim & cupidis excipient manibus.  
 Cerne, favent, plauduntque tibi Bonamicus, atque  
 Staiades, coetus lumina Pierii;  
 Atque alii, quorum quemvis ego scilicet unum  
 Sexcentis longe millibus antefero.  
 PATRITIUS nulli quos inter cesserit ille,  
 Ille amor, ille urbis gloria Romuleæ.  
 O PATRITI salve, o Romæ decus; o bone magnum  
 Hoc PATRITI duro in tempore præsidium  
 Vatibus, omni omnes tibi quos adungere pergis  
 Officio, & dulci magnus amicitia